



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio CXX. De Gratiâ sufficiente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CXX.

De Gratiâ sufficiente.



sequamur.

PRIMA parte, Disputatione trigesima octava, Sectione quarta, & sequentibus contra Calvinum & Iansenium ostendi dari gratiam sufficientem, nec salvâ Fide contrarium sustineri posse, cum id plurimis sacra Scriptura testimoniis, Conciliorumque ac Pontificum decretis aperte repugnet: nunc reliqua circa gratiam sufficientem pro-

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur nonnulla circa gratiam sufficientem.

I.

Gratia sufficiens potest entitativè esse perfectior efficaci.



QUÆRITUR primò: utrum gratia efficax sit semper quid præstantius sufficiente. Respondetur: vel sermo est de nudâ entitate physicâ gratiæ efficaciæ, specificativè sumptâ, seu prout præcendit à consensu conditionatè futuro, & scientiâ Dei, vel prout hæc includit: si primo modo sumatur poterit gratia sufficiens esse quid æquè præstans, seu cogitatio æquè clara, intensa & perfectâ, atque gratia efficax: imò interdum perfectior. Nec puto aliud quàm hoc velle Lessium de prædestinatione sect. 5. num. quinquagesimo primo.

II.

Gratia efficax quæ talis est melior moraliter sufficiente.

Si verò sermo sit de gratiâ efficaci in iis circumstantiis, in quibus de factò ex vi illius sequetur consensus, est secundùm suam entitatem quid moraliter majus ac melius longèque optabilius sufficiente, esto hæc in intentione & claritate illam superet. Ratio est: in æstimatione siquidem morali illud auxilium est melius alio & pretiosius, quod est magis utile, quantumvis aliud in entitate physicâ præcisè hoc excedat: sicut medicina aliqua, etiam si obvia, si tamen hic & nunc curabit hunc morbum, est sine dubio præferenda alteri, quantumvis secundùm se majoris pretii. Eodem itaque modo nullus prudens, qui perfectam horum auxiliorum haberet cognitionem, non eligeret potius minus intensum entitativè, seu tenuius, quod tamen videt habiturum effectum, quàm intensus, quod videt effectum frustrandum.

III.

Gratia efficax in his circumstantiis est melior sufficiente, quæ minus hæc si enis tativè perfectior.

Quæritur secundò: utrum hæc major excellentia gratiæ efficaciæ præ sufficiente ascribi possit ipsi entitati gratiæ secundùm se; videtur enim non posse, inde namque solum habet dignitatem, quòd eam sequatur consensus, ergo ipsa entitas gratiæ secundùm se non est melior entitate gratiæ sufficientis, si in intentione, claritate &c. sint æquales. Respondetur verum esse, ad hoc ut entitas gratiæ sit & censeatur melior, non posse seperari ab his circumstantiis; hinc tamen non sequitur, quin id quod directè, & per se, seu per modum objecti æstimatur, sit ipsa entitas gratiæ. Sic in aliis plurimis contingit: aqua exempli causa dum quis sitit,

est melior & majori pretio digna, quàm extra circumstantias sitis, quia nimirum est utilior, bonum autem & malum relativè dicuntur in ordine ad subiectum, sicque idem in his circumstantiis est melius seipso in aliis. Unde quando quis sitit, dat et prudenter plus pro haustu frigide, non quòd sitis tunc ematur, sed sola aqua, licèt calor & sitis hic & nunc concurrant, ut ipsa entitas aquæ melior sit, & majori pretio ematur, idque licèt teneant se ex parte ementis, non rei emptæ. Idem ergo est in præsentibus, ubi ratione circumstantiarum ipsa entitas gratiæ melior est, & meritò pluris faciendâ.

Bohum & malum dicuntur relativè.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum gratia, sicut est sufficiens, ita etiam sit efficax in actu primo.

AD hoc eodem ferè modo respondendum, sicut præcedentibus, nempe entitatem illam gratiæ, quæ in actu primo, & in recto importatur, esse efficacem, non tamen nudè & præcisè secundùm illud quod dicit in actu primo, sed prout connotat consensum secuturum, tanquam aliquid minus principale. Gratia itaque efficax essentialiter & metaphysicè sumpta, dicit vim illam effectivam auxilii in recto, & consensum in obliquo. Licèt verò tanquam conditio involvatur partialiter consensus, non tamen potest gratia absolute dici efficax ab eventu, hoc namque denotaret eventum causare consensum, cum nihilominus tota virtus causativa antecedat consensum, & illum inferat.

I. Declaratur quo sensu gratia sit efficax in actu primo.

Dicitur nequè gratia efficax ab eventu.

Requiritur tamen ut sequatur consensus ad hoc ut gratia censeatur completè & infallibiliter efficax, etsi enim consensus ille futurus, nihil virtutis addat gratiæ, est nihilominus conditio necessaria ut hæc dicatur efficax in sensu hic intento, nempe certissime illatura effectum.

II. Vt gratia sit efficax, debet sequi consensus.

Quod ut melius intelligatur, notandum variis modis posse aliquid dici efficax, primò quia habet virtutem operativam, quo sensu certum est gratiam esse efficacem purè in actu primo, & per suam entitatem nudè sumptam. Secundò quia est actu operans, hoc autem non habet gratia formaliter per se, sed per actionem. Tertio demum efficax dicitur quod virtutem operativam habet omnino certam

III. Variis modis aliquid dici potest efficax.

certam & infallibilem, & hoc afferimus tanquam à conditione, & aliquo minus principaliter connotato provenire gratiæ à consensu secuturo. Hac ratione explicandum puto Molinam in Concordiâ, q. 14. art. 13. disp. 38. Lessium cap. 10. Stapletonum lib. 4. de justificatione, cap. 8. & Feriâ 6. primæ hebdomadæ Quadragesimæ, §. Jam vero, & alios nonnullos, dum affirmant efficaciam gratiæ, ut planè infallibilis sit, provenire à nostra cooperatione: nec enim volunt, ut malè eos aliqui intelligunt, gratiam vim aliquam operandi à nostra voluntate accipere, sed solum non esse omnino infallibilem, nisi dependenter à cooperatione secutura, tanquam à conditione, & quicquid hanc antecedit stare posse cum dissensu.

Quo pacto dicitur aliqui gratiam ut infallibilem provenire à nostra cooperatione.

IV. Volunt nonnulli antecedenter ad consensum nostrum absolutum dari infallibilem connexionem inter auxilium & effectum.

Recentiores aliqui ex nostris, prioritatem quandam & infallibilem connexionem cum effectu antecedenter ad consensum nostrum absolutum in auxilio efficaci ostendere conantur: aiunt enim illud jam actu existens (postâ scientiâ conditionatâ, & futuritione etiam conditionata effectus, quam hæc scientia supponit) habere infallibilem connexionem cum consensu: non potest namque non sequi consensus positio conditione seu auxilio, est absolutè futurus, ergo erat & sciebatur futurus positâ conditione, non autem valet econtrâ, erat vel sciebatur consensus positâ conditione; ergo est absolutè futurus: sicut etiam valet, res est actualis, ergo erat possibilis, non econtrâ.

V. Totum complexum ex auxilio collato & futuritione conditionatâ non est logicè prius consensu, sed simul.

At sanè non videtur subsistere prioritas hæc logica, seu in subsistendi consequentiâ, quam statuunt hi auctores, licet enim futuritio conditionata secundum se, sicut etiam scientia Dei conditionata sigillatim sumpta, sit prior logicè nostro consensu, totum tamen complexum ex auxilio collato & futuritione conditionatâ, vel scientiâ Dei, non est logicè prius consensu, sed simul, vel ut multi volunt posterius, valet namque hæc consequentia, datur auxilium, quo positio eram vel præcibbar à Deo operaturus, ergo de facto sum operaturus, ergo illud complexum ex scientiâ vel futuritione conditionata effectus, & actuali collatione auxilii non est prior logicè consensu absolutè futuro. Confirmatur: ideim in conditionatis omnibus re ipsa est rem aliquam esse futuram conditionatè, seu si ponatur conditio, & esse absolutè futuram positâ conditione, id enim quod ut merè fit absolutè futurum, pendet à conditione aliqua, hac purificatâ, transit ipso facto à statu futuritionis conditionato ad absolutum: cum ergo collatio auxilii sit conditio sub qua prævidebatur consensus conditionatè futurus, dato auxilio jam prævidetur absolutè futurus. Sic in rebus etiam moralibus, dum quis aliquid dare, vel contractum inire, aut dominium in aliquem transferre vult sub aliqua conditione, consensu alterius verbi gratia, aut alio hujusmodi, ipso facto quod conditio hæc ponatur, voluntas illa transit in absolutam.

In rebus omnibus idem est rem esse conditionatè futuram, & postâ conditione, esse futuram absolutè.

VI. Quæ ratione scientia conditionata possit supponere objectum suum absolutè futurum.

Dices: scientia conditionata non potest supponere objectum suum absolutè futurum, hoc namque proprium est scientiæ visionis. Distinguo antecedens: scientia conditionata solitariè & secundum se sumpta seu merè ab intrinseco, non potest supponere suum objectum absolutè futurum, concedo antecedens; simul cum collatione auxilii, & per determinationem extrinsecam à purificatione conditionis jam positâ, nego; hoc enim secundum

non est proprium scientiæ visionis, sed tantum primum, seu ut merè per se, & ab extrinseco petat, & supponat consensum futurum, & consequenter supponit etiam absolutam collationem futuram auxilii: scientia verò conditionata ex se præcisè stare potest cum decreto efficaci, nec habendi consensum, nec auxilium ad illius productionem conferendi: cum aliis tamen supra positis accepta, est, si non prior, saltem simul logicè cum consensu, ut paulò superius est declaratum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum cum equali gratiâ contingat unum converti, alium non converti, sed auxilium in eo manere tantum sufficiens.

PRIMA Conclusio: sæpè potest contingere, ut cum gratiâ præveniente, physicè æquali, id est ejusdem intensiois, claritatis, &c. unus consentiat & convertatur, alius non consentiat: ita Suarez lib. 3. de Auxiliis, cap. 20. ubi hoc latè ex Scripturâ & Patribus ostendit: Bellarminus lib. 6. de Gratiâ, cap. 15. Lessius de Prædestinatione, sect. 5. num. 51. Molina, Stapletonus, & alii. Sermo autem est de auxilio merè præveniente, & in actu primo: in actu enim secundo plus habet qui convertitur, habet siquidem ipsum consensum, seu conversionem.

I. Sæpe fit, ut gratia physicè æqualis unus consentiat, alius non consentiat.

Probatur Conclusio primò auctoritate Patrum, qui Deo æqualiter ex parte suâ concurrente, aiunt consentire multos, & salutem consequi, multos refragari, & salutem amittere. Sic, ut S. Gregorium, S. Cyrillum Alexandrinum, Origenem, & alios omittam, S. Chrysostomus ad Romanos 9. homiliâ 16. ait Deum eandem voluntatem & lenitatem, quantum in ipso fuit, ostendisse erga Pharaonem, ac erga eos quos de facto salvabat. Omnium verò clarissimè in hanc rem loquitur S. Augustinus, lib. de Prædestinatione & Gratiâ, cap. 15. vel quisquis auctor illius libri fuerit, ubi comparans inter se Nabuchodonozor & Pharaonem, quorum alter flagellatus poenitentiam egit, alter flagellis durior effectus est, sic habet: Ambo homines, ambo reges, ambo captivum Dei populum possidentes, ambo flagellis clementer admoniti, cur ergo medicamentum unius medici consecutum, alii ad interitum, alii valuit ad salutem, &c. nisi quod unus manum Dei sentiens in recedatione propria iniquitatis ingenuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio; hæc ibi. Et libro primo ad Simplicianum quaest. 2. Quamvis, inquit, multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiende reperuntur idonei. Alia id genus plurima, tum ibi, tum alibi habet sanctus Doctor, ex quibus constat opinionem ejus fuisse cum æquali physicè gratiâ, & omnibus ex parte Dei eodem se modo habentibus, unum consentire, credere, poenitentiam agere, & converti, non alium.

II. Afferunt Patres cum æquali auxilio multos converti, multos non converti.

Æquale medicamentum Pharaoni & Nabuchodonozor applicatum, non eundem in utroque habuit effectum.

Secundò probatur Conclusio ex variis Scripturæ locis, in quibus reprehenduntur nonnulli, quod aliis credentibus, & agentibus poenitentiam, illi nec credere, nec poenitentiam agere voluerint, quæ reprehensio ut æqua sit, debent omnia ex parte Dei supponi æqualia, & quoad siquæ auxiliâ externa, & quoad illustrationes internas. Sic Matthæi II. v. 21. ait Christus: Ve tibi, Corozaim,

III. Ex reprehensiois in Scripturâ positis colligitur, simili pland gratiâ aliquos respondere, non alios.

Corozaim,

Corozain, ve tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facte essent virtutes, quae facte sunt in te, utique in cilio & cinere poenitentiam egissent. Sic etiam Ezechielis 3. vers. 5. ait ei Deus: Non ad populum profundi sermonis tu mitteris, &c. & si ad illos mittereris, ipsi audirent te, domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.

IV. Tyrii & Sidonii cum eadem gratia credidissent, cum qua noluerunt credere Iudaei.

Hinc ergo habemus cum gratia aequali hos converti non alios. Tyrii enim & Sidonii cum eodem plane auxilio credidissent, & poenitentiam egissent, quo haec praestare noluerunt Iudaei, alioqui reprehendi jure non potuissent, quod aliis credentibus ipsi credere noluerint: & sane cum juxta nos, natura gratiae si ita movere ad consensum, ut stare nihilominus possit cum dissensu, nulla videtur ratio, cur unus ei consentire nequeat, alio dissentiente, aut cur etiam in eodem homine eadem gratia nunc non possit esse efficax, nunc inefficax. Imò haec quae dixi, vera videntur, non solum si merè spectetur physica entitas auxilii, sed tota etiam collectio circumstantiarum in quibus confertur.

V. Quamvis consensus habendus per auxilium pendat à nostra cooperatione, Deus tamen proprie facit ut faciamus

Dices primò: ergo efficacia auxilii pendet à nostro consensu; ergo Deus non facit ut faciamus, sed potius facimus quia volumus, hoc tamen aperte videtur contra Scripturam & Patres qui peculiari efficaciae auxilii tribuunt consensum, quam peculiarem efficaciam non habet ille, qui non convertitur. Respondetur: ex eo quod effectus habendus per auxilium pendat à nostra cooperatione & consensu, nil obstat quo minus propriissime dicatur Deus facere ut faciamus: ipso facto enim quod det auxilium illud, quod videt habiturum tunc effectum, seu (quod eodem recidit) quicum praevidet voluntatem nostram cooperaturam, est hic & nunc causa cur convertamur, cum si, ut potuit, aliud auxilium dedisset non fuisset consensus. Inducitur ergo in praesenti ad consentiendum voluntas à suavione gratiae praevientis, quae proinde est causa moralis consensus. Nec aliud quam hoc volunt Patres. Hac etiam ratione intelligitur, quo pacto Deus specialiter eorum misereatur, quorum vult misereri, & alios induret, dando scilicet vel non dando auxilium illud, quod hic & nunc novit habiturum effectum, quod sine dubio moraliter loquendo est multò majus beneficium, ut ostensum est supra.

Quo sensu quorundam misereatur Deus, quosdam inducit.

VI. Deus primario, & in genere causa moralis nos discernit.

Dices secundò: hinc sequi hominem se discernere contra illud Apostoli, *Quis te discernit*: Respondetur negari non posse quin homo physice, secundario, & minus principaliter se discernat, & voluntate ut aiunt pedissequa; haec enim est natura actus liberi, ut nisi voluntate liberè consentiente, haberi non possit, at verò in genere causae moralis & primario Deus nos discernit, dando scilicet gratiam in iis circumstantiis, in quibus eam videt habituram effectum, ac proinde quod cogitatio illa ita suadeat, ut persuadeat illi est tribuendum.

VII. Qua ratione verba illa Apostoli, *Quis te discernit*, exponat S. Augustinus.

Locum verò hunc Apostoli, *Quis te discernit* S. Augustinus de praedestinatione sanctorum cap. 5. hoc modo contra Pelagianos & Semipelagianos exponit, ut sensus sit neminem se discernere per fidem, aut bona opera, Dei gratiam praevientia, ut volebant ipsi, seu ex solis naturae viribus facta. Quod verò homo secundario, physice, & executive se discernat, nihil est contra Patres, ut optimè declarat Suarez lib. 3. de auxiliis, cap. 20. num. 11. Imò Scriptura & Patres hoc modo frequenter loquuntur, ut notat Suarez ibidem; sic enim jubet Scriptura, ut separemus nos à malis, ut rectas faciamus vias nostras, ut faciamus nobis cor novum,

ut nos sanctificemus, vivificemus, emundemus, ut efficiamur vasa in honorem, & alia hujusmodi, quibus verè & in re boni discernuntur à reprobis.

Dices tertio: saltem posset is, qui consentit, gloriari praeter alio, qui non consentit, gratia enim est aequalis in utroque, ut supponimus, unde & sibi tribuere posse videtur, quod gratiam Dei reddiderit efficacem. Respondetur hominem illum gloriari quidem posse, sed in Domino, cui scilicet debet, quod tale auxilium habeat, cui de facto sit consensus, cum & illud negare ei Deus potuisset, & aliud concedere, quod si habuisset, consensus non fuisset. Non tamen gloriari is ita poterit, quasi suis viribus credidisset, convertisset se, poenitentiam egisset &c. nec quod merè proveniat ab illius libertate, nisi ut adjuvata per gratiam, sine qua non consentiret. Unde semper dicere debet, *Non ego, sed gratia Dei mecum*, verè tamen operatio illa est bona, ac laude & gloria digna: quare si voluerit gloriari, modo tamen jam dicto, non erit insipiens, veritatem enim dicet, ut ait Apostolus primò ad Corinthios 15. & 2. ad Corinthios 10. Ratio est; gloriari enim de aliquo opere, nihil aliud est quam ratione illius existimare se laude aliqua & gloria dignum, quod verum est licet non semper expedit ob metum praesumptionis, quae optimè declarat Suarez citatus, num. 13. & 14.

VIII. Qui gratia consentit, potest gloriari, sed in Domino.

Quid sit de opere aliquo gloriari.

Addo cum veritate semper dici posse, ac debere dexteram Domini fecisse hanc virtutem, nam in morali aestimatione hominum totum jure tribuitur Deo, utpote qui ita hominem illum ex sua bonitate vocavit, ut consentiret, cum, ut ostensum est, potuisset contrarium. Quare licet physice homo simul cum gratia Dei adjuvante producat consensum, hoc enim exigit natura actus liberi, id nihilominus totum physicum Deo hanc gratiam excitantem & cogitationem potius quam aliam immitenti, merito ascribi potest, quae de facto efficit, ut consentiat, cum alia dari potuisset, ut dixi, cui non fuisset consensus. Non tamen proprie gloriari potest is, qui gratiae consentit, praeter alio qui non consentit; si enim constituti fuissent in aliis circumstantiis, etiam aequalibus, quas Deus videt possibiles, hic consensisset, altero dissentiente, hoc enim suadet naturae humanae mutabilitas & inconstantia omnibus communis. Et per haec patet ad objectiones Jansenii.

IX. Dicit semper debet, Dextera Domini fecit virtutem.

Totum Deo in hoc negotio jure est attribuendum.

Qui consentit, gloriari non potest praeter alio qui non praestitit consensum.

SECTIO QUARTA.

Qua gratia sit majus beneficium.

SECUNDA Conclusio: non solum is qui aequali auxilium accipit cum altero, sed etiam qui minus, si tamen ei consentiat, recipit majus beneficium, quam alter, qui majus & entitative perfectius habuit auxilium: ita communis sententia, & ex parte probatum est supra, ubi ostendimus gratiam efficacem meliorem esse inefficace. Probatur ulterius: Deus namque in Scripturis specialiter semper misereri eorum dicitur, quos convertit, imò & manifestum indicium est majoris benevolentiae dare illa auxilia, quae videt habitura effectum, quam illa quae videt effectum non habitura, illa enim media, licet entitative minus praestantia, sunt tamen hic & nunc ob suam bonitatem utilem in ordine ad hunc finem consequendum, alii merito praefertenda, non aequalibus tantum in entitate, sed etiam perfectioribus, per quae de facto consensus non esset eliciendus.

I. Gratia physice melius interius est majus beneficium gratiae intergrae.

Ad ulte

II. Beneficium duobus modis sumitur, materialiter & formaliter.

Ad ulteriorem verò conclusionis declarationem notandum, beneficium dupliciter sumi, materialiter & formaliter: beneficium materialiter sumptum, in ipsâ entitate auxilii situm est, & consequenter auxilium sufficiens seu incongruum potest esse tantum beneficium materialiter ac congruum. Beneficium verò formaliter sumptum includit ulterius ex parte dantis, saltem cognitionem rei datæ, qui enim daret aliquid casu, vel gemmam, nesciens esse gemmam, sed autumans esse vitrum, non conferret propriè beneficium, nec daret gemmam formaliter, sed vitrum; nec enim valor gemmæ est ipsi voluntarius, sed tantum valor vitri.

III. Beneficium formaliter præter cognitionem, includit saltem valoris vel datæ complacentiam.

Dixi beneficium formaliter, includere saltem cognitionem; etsi enim Vasquez cum aliis quibusdam existimet solam cognitionem sufficere, probabilius tamen est quod docet Suarez, & alii, requiri ulterius ad formale beneficium intentionem dandi auxilium congruum, quæ tale, vel saltem complacentiam de illius congruitate, & efficaciam, & hic videtur communis omnium conceptus: unde sanctus Thomas 2. 2. q. 106. art. 3. ad tertium ait, cum qui facit alteri bene, merè ut sibi ipsi profit, eo loco habendum esse, quo is qui pacit pecudem: & ibidem art. 5. ad primum ait, beneficium materialiter consistere in re datâ, formaliter in affectu dantis: quod Seneca similiter, & morales passim Philosophi testantur: & universim opus aliquod bonum non plus habet in ratione beneficii, aut virtutis, quàm sit in affectu, ut supra ostendimus de actibus humanis.

IV. Quod sentiat nonnulli si Deus omnia creasset me & ob suam gloriam.

Hinc inferunt aliqui, si Deus omnia crearet, merè ob suam gloriam, non habituros obligationem homines sicut modò habent, gratias ei ex speciali affectu gratitudinis agendi, sed solum latiori quodam modo, colendo scilicet ipsum ut primum principium, non ut benefactorem formaliter: sicut Vasquez & alii respondere debent, casu quo parens generaret absque notitia prolis secururæ, quem tamen filius colere teneretur per virtutem pietatis, non gratitudinis formaliter, seu ut principium sui esse, non ut benefactorè propriè sumptum.

V. Quo sensu iusserint Angeli Heliodorum Oniam gratias agere pro salute.

Opponi hic solet illud 2. Machab. 3. ubi Angeli iusserunt Heliodorum Oniam Sacerdoti gratias agere ob salutem ejus precibus receptam, qui tamen non ob aliquam in eum benevolentiam, sed ne quid mali Judæis ex ejus interitu proveniret, sacrificium pro eo obtulerat. Respondetur affectum erga seipsum in re aliquâ præstandâ, non impedire quo minus sit opus misericordiæ, si simul id præstet ex affectu erga alterum, non autem constat Oniam hoc modo pro Heliodoro non orasse, imò ex hoc iplo loco Scripturæ colligimus potius contrarium, cum verè pro salute ejus oraverit, quod indicat affectum misericordiæ, vel charitatis. Adde præterea gratiarum actionem aliquando strictius, aliquando latius sumi, ut ex communi loquendi modo constat. Tertio volebat Deus, ut se ille summo Sacerdoti submitteret, & pro materiali etiam beneficio gratias eidem ageret. Videatur Moraines Disp. 27.

Actio gratiarum aliquando strictius, aliquando latius sumitur.

SECTIO QUINTA.

Objectiones nonnullæ circa gratiam in ratione beneficii.

I. OBJICIES primò, non videri subsistere id quod diximus, nempe auxilium sufficiens, si in entitate sit æquale, esse mirus beneficium morali.

P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

raliter, quàm efficax; nec enim æquum videtur, ut Dei dona minoris habeantur ob nostram negligentiam. Respondetur, non præcisè ob nostram negligentiam minoræ conferri donâ Dei, sed quia negligentiam illam non tollunt; sunt enim correctiva, voluntatem non consentire, & gratiam ei non persuadere, seu non efficere ut voluntas consentiat. Quare mirum videri non debet, quod auxilium ordinatum ad ejusmodi rem juvandam, quæ ob suam mobilitatem & inconstantiam nunc vult, nunc non vult cum æquali, imò & cum eodem fortè auxilio, qualis est voluntas creata ex nihilo facta, mirum inquam non est, illud ipsum auxilium etiam in actu primo cum relatione ad causam, nunc majus nunc minus beneficium conferri, maxime cum Deus, qui illud donat, sciat habiturum, vel non habiturum effectum antequam illud donet.

Quare hinc auxilium sufficiens conferri minus beneficium auxilio efficitur.

Objicies secundo: majus sunt beneficium centum aurei, quàm decem, etiam si melius accipienti succedat cum decem, ergo idem erit de auxilio. Respondetur negando consequentiam, primò quia nummi illi non ordinantur ex naturâ suâ ad faciendum nos diligentes, sicut ordinatur gratia. Secundo, licet namque hoc tempore plus illi profuturi sint decem aurei, quàm alteri centum, possunt tamen hi in aliud tempus servari, & tunc plus ei prodesse, quod dici nequit de gratiâ, quâ nisi quis modò utatur, nunquam postea eadem uti poterit, cum statim destruat. Tertio tandem dico probabile mihi videri, si nunquam sint illi aurei huic homini utilitatem allaturi, & hoc donans cognoscat, & vicissim sciat decem alteri utiles futuros, quamvis materiale beneficium sit majus respectu prioris, formale tamen majus esse respectu secundi. Unde consequenter ad hæc affirmant auctores hujus sententiæ, majora esse beneficia, ea quæ conferuntur multis ex communi hominum conditione, qui per ea salvantur, quàm alia in se multo nobiliora, ut fuit vocatio Judæ ad Apostolatam, & similia.

II. Cur centum aurei sint majus beneficium quàm decem, etiam si tamen minor gratia entitativè sit majus beneficium inter eadem gratiâ majora.

Objicies tertio: gratiam, etiam prout est à Deo, esse efficacem, ergo non dependentem à voluntate creatâ. Respondetur, gratiam etiam prout à solo Deo, esse efficacem hoc sensu, quòd scilicet habeat virtutem operandi, seu energiam, quæ facit ut faciamus, illa enim nihil aliud est quàm ipsa entitas gratiæ, quæ tota est à Deo. Si autem loquamur de infallibilitate hominem convertendi, hoc non habet gratia, nisi cum dependentiâ quadam à nostrâ voluntate, & consensu futuro. Aliquo tamen modo potest dici auxilium, etiam prout est à Deo efficax infallibiliter, prout scilicet includit scientiam conditionatam, quo sensu supra diximus esse auxilium efficax infallibile instrumentum Dei.

III. Quo sensu gratia prout est à Deo sit efficax.

Est infallibiliter efficax ut includit scientiam conditionatam.

Objicies quarto: si Deus vel intendat auxilium ut efficax, vel cum speciali complacentiâ illud conferat, tolli libertatem, cum hac quippe intentione vel complacentia non est stare negatio consensus: cum ergo hæc sint, quid antecedens, tollitur per ea libertas. Respondetur sicut respondi de præfinitionibus, nempe hanc voluntatem seu complacentiam non esse simpliciter antecedentem, sicut nec est simpliciter antecedens scientia conditionata, in qua fundatur, imò posito auxilio, supponit consensum jam absolute futurum ut ostensum est, sicque est necessitas solum consequens. Illa itaque complacentia supponit scientiam conditionatam, hæc consensum conditionatè futurum, ergo neutra simpliciter antecedit, cum consensus jam pro aliquo priori sit aliquo modo futurus: quæ supra fusi sunt declarata.

IV. Specialis illa intentio, seu complacentia, qua Deus auxilium illud confert, non est simpliciter antecedens.

Zz

Objicies

V. Objicies quintò: hinc sequi esse in potestate hominis ut prædestinetur; est enim juxta nos in ejus potestate, ut reddat gratiam congruam, ergo ut gratia hæc sit gratia prædestinationis. Ad hanc objectionem fuse dictum est in materiâ de prædestinatione, ubi ostendimus, licet solis spectatis naturæ viribus, nihil possit homo per se, conduens ad vitam æternam, suppositâ tamen Dei gratiâ posse antecedenter facere se prædestinatum, cum sit in illius potestate efficere antecedenter ut gratia illa, quæ independenter ab ipso datur, reddatur efficax, sicque extrahatur à ratione generalis providentiæ communis prædestinatis ac reprobis, & fiat gratia prædestinationis. Absolutè tamen dicendum, non esse in cujusquam potestate ut sit prædestinatus, cum non sit in ejus potestate habere ullam omnino gratiam, nisi Deus ex suâ misericordiâ eam ipsi largiatur. Imò quamvis antecedenter & physicè sit in hominis potestate gratiam sufficientem reddere gratiam prædestinationis, moraliter tamen loquendo, & infallibilitate consequente est in manu solius Dei, cum in solâ illius potestate situm sit, ut detur illa gratia, cui homo de factò prævidetur consensurus. Videatur Joan. Moraines Disp. 27.

Possitne aliqua ratione dici esse in hominis potestate reddere se prædestinatum, suppositâ Dei gratiâ.

Absolutè loquendo, in manu solius Dei est hanc reddere gratiam prædestinationis.

Negari non potest quod dicitur apertè multò esse aliis ad divinam inspirationem accipientibus.

SECTIO SEXTA.

Aliarum objectionum solutione magis declaratur natura gratia sufficientis.

I. **O**BJICES sextò Deus non specialiter eligit his in particulari gratias congruas, sed spectatis circumstantiis, dat secundum illas auxilia plura vel pauciora, congrua vel incongrua: sic plura dat fidelibus quàm infidelibus. Uberius etiam hujuscemodi inspirationes iis qui divino cultui peculiariter dicati sunt immittit, utpote magis capacibus, quàm aliis, ergo hæc auxilia congrua non sunt specialia beneficia magis quàm auxilia sufficientia. Respondetur verum quidem esse, Deum de lege saltem ordinaria secundum præsentis rerum circumstantias auxilia largiri; sic namque connaturalius dantur; ii enim qui in locis illis degunt, ubi frequentes habentur conciones, & adhortationes ad bonum, exercitationemque virtutis, multaque vident exempla, quæ ad pietatem & bona opera per se invitant, capaciores haud dubiè sunt, connaturaliter loquendo, bonarum inspirationum, quàm ii qui inter illos ætatem agunt, ubi nihil fere cernunt, nisi quod ad peccandum pertrahit.

II. Hinc tamen non sequitur, quin auxilia congrua sint specialia beneficia: tum quòd Deus hanc

potius rerum seriem elegerit, quàm aliam, videns huic homini in eâ auxilia fore congrua, cum in aliâ futura fuissent incongrua: tum quod videns illa habitura effectum, peculiariter de iis gaudeat, & libentiùs, majorique quasi voluntatis propensione ea donet: tertio tandem, quod cum fortè in quibusdam circumstantiis auxilia incongrua æquè connaturaliter dari possint ac congrua, hæc tamen eligat, non illa.

Multis nominibus ostenditur auxilia congrua esse specialia Dei beneficia.

Objicies septimò: non enim opus videtur speciali aliqua providentiâ, ratione cujus auxilium supernaturale congruum censetur peculiare beneficium præ sufficiente eo ipso siquidem quòd Deus sincero affectu velit omnes homines salvos fieri, ex vi hujus intentionis debet multa fini illi proportionata auxilia conferre, ex his autem in tantâ hominum multitudine, officiorumque & temperamentis naturalis, ac statuum diversitate, impossibile videtur multa non futura congrua, sicut & impossibile esse diximus, ut nulla cogitatio naturalis congrua, aliquibus saltem in tanta hominum multitudine contingat.

III. *Dices: Non requiritur specialior providentiam, ratione cujus gratia congrua censetur peculiariter beneficiosa.*

Respondetur hoc solùm probare auxilium congruum supernaturale non esse superioris ordinis ad supernaturale incongruum. Deinde ad summum probat hoc argumentum posse Deum eodem affectu dare gratiam congruam, quo dat sufficientem, quod si faceret, gratia congrua non foret in eo casu completè majus beneficium formaliter, quàm incongrua, sed solùm materialiter, juxta dicta superius. At quicquid sit de hoc, cum Deus ex perfectissimâ scientiâ dona sua largiatur, nullum est fundamentum negandi, ipsum de factò ex speciali affectu, & complacentiâ auxilium congruum conferre, quam complacentiam non habet circa incongruum.

IV. *Resp. Deum gratiam congruam ex speciali complacentiâ conferre, quod si non faceret, non esset completè majus beneficium formaliter.*

Objicies octavò: ex dictis sequi gratiam incongruam, seu sufficientem non solùm esse minus beneficium quàm sit congrua, sed nullum omnino beneficium, quod præcipue verum videtur de auxilio incongruo finali; unde non tenentur damnati pro eo Deo gratias agere. Respondetur, auxilium incongruum dupliciter considerari posse, specificativè, & reduplicativè, si hoc secundo modo consideretur, seu ut incongruum, non est beneficium, jam enim involvit dissensum & peccatum, sicque pro illo hac ratione sumpto non aguntur gratiæ: at verò si sumatur specificativè, quo modo à Deo procedit, entitas illius auxilii est bona, pro qua proinde agi possunt gratiæ. Semper tamen, ut diximus, quævis gratia congrua est melior incongrua, pluresque pro eâ gratiæ agendæ, semper namque est majus beneficium, & licet physicè reddatur congrua à nobis, moraliter tamen est à Deo solo, ut latè in superioribus est declaratum.

V. *Auxilium incongruum sumitur specificativè & reduplicativè.*

